

V 9  
1263



H  
Q V  
todi  
& cul  
Pa

S  
gotia  
a au  
endi

B  
lunt

In





BN 214  
BN 214 7

Vg  
1263

# HOMILIAE

## QUATVOR DE CV-

odiendo precioso thesauro uerbi Dei  
& cultus sacri, contra multiplices fures,  
Papistas, Interimistas & Adiapho-  
ristas, deq; afflicta Ecclesia  
Christi non deserenda M.

Ioachimi Vuestphali  
Past. Hamb:

Matth. 13.

Simile est regnum coelorum homini ne-  
gotiatori quarenti bonas margaritas, inuen-  
ta autem una preciosa margarita, abiit &  
vendidit omnia, quae habuit & emit eam.

Lucae. II.

Beati qui audiunt uerbum Dei & custo-  
dunt illud.

Impressum Magdeburgi per Mi-  
chaelem Lottherum.

1550.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(GALE)

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA





107

107

MILLIA

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

CVATVOR DE CV

no  
tre  
rill  
tua  
et  
nig  
om  
Euz  
dic  
hor  
bea  
sen  
Exc  
in  
ace  
tan  
eit,  
am  
De  
pet  
pat  
q̄ u  
ben  
Per  
cop  
mos  
mia





## PRAEFATIO.

**O**FORTVNATOS NIMI-  
um, sua si bona norint, Christicolas.

Ita mihi consideranti foelicitatem  
nostri saeculi, hominum uero caecitatem, ex-  
tremam ingratitudinem & contemptum ue-  
rissime exclamare licet, quemadmodu Man-  
tuanus ille fecit, cum in describendis opibus  
et commodis agricolarum uersaretur. Be-  
nignus pater, auctor et conseruator rerum  
omnium, dedit nobis inenarrabile donum  
Euangelij sui, et benedixit nobis omni bene-  
dictione spiritali.

Vere iam ab omni parte beati essent  
homines, si sua nossent bona, nihil deesset ad  
beatitudinem, si animus non desit, qui praes-  
enti copia rerum coelestium recte sciat uti.  
Excitaret haec notitia tum desiderium ingens  
in expetendis & quaerendis, tum studium  
acerrimum in conseruandis et retinendis  
tantis bonis. Vt enim ignoti nulla cupido  
est, ita cognita bona cient incredibilem sui  
amorem et desiderium.

Cum autem hoc tempore ex immensa  
Dei benignitate omnia spiritalia bona sup-  
petant abunde, et thesauri regni caelorum  
pateant nobis, nihil tam deest hominibus,  
q̄ uera noticia, et animus, qui illa opulentia  
beneficentiae diuinae recte et hilariter utatur.  
Perdita & deplorata ignorantia in summa  
copia inopes, in summa foelicitate infelicissi-  
mos reddit homines.

Placent quidem sibi uehementer de exi-  
mia quadam sapientia & cognitione Euan-  
gelij,



gelij, putat se penetrasse abdita mysteriorum  
Dei, et plenos fontes doctrinae Christi hau-  
sisse, ac tam certam et firmam sibi possessio-  
nem inauratae religionis pollicentur, ut ni-  
hil minus credant, quam se aliquando amitte-  
re eam posse. Etiam si ipsi ultro Antichristo  
fenestras fabricent, eius caeremoniarum cha-  
racteres accipiant, & totus Papatus rede-  
at, existimant tamen de recta doctrina, fide  
& salute se nihil periclitaturos esse. Atqui  
stulta persuasione se decipiunt, uacant uera  
ac solida doctrinae & beneficiorum Christi  
cognitione. Itaque saturi fastidiunt delicias  
mensae coelestis instructae omni copia, nec  
tam ab hostibus thesauros immortalis uitae  
cripi sibi sinunt, quam ipsimet ultro abij-  
ciunt.

Non ab hostibus aufertur Euangelium  
& regnum Dei, nec quidem illi ullo possent  
modo auferre, si homines, quo debent, adfice-  
rentur studio expetendi & conseruandi di-  
uinitus data, sed fastidium, contemptus,  
quaeque inde nascuntur peccata alia, auferunt  
ab ingratis et saturis praecleara illa bona. Ex  
ira Dei contemptoribus accidit in spirituali-  
bus, quod alias irascente Deo in bonis ex-  
ternis usu uenire solet.

Cum Deus sua benedictione frumentis  
campos et horrea, arbores fructibus, cellas  
uino replet, aliaque sua dona dat abundanter  
larga manu, ingratiissimi homines non agunt  
Deo gratias, abutuntur largitate creatoris  
sui, indulgent crapulae & ebrietati, heluan-  
tur, profundunt, non impertiunt pauperibus  
et scelerate Dei dona pessundant. Ingratitudi-  
nem, abusum et scelera ista ulciscitur iustus  
iudex,



iudex, ablata sua benedictione punit sterilitate, penuria et caritate annonæ, unde fere anni steriles sequuntur fertiles, & post abundantiam penuria et egestas mortales affligunt.

Etsi autem peruulgatum sit malum, fastidire quælibet Dei dona, cum abundant, maxime tamen id euenire solet in abundantia spiritualium bonorum. Nusquam homines tam cito capit satietas et fastidium, quam cum Deus opulenter dat uerbum suum et coniuncta ei spiritus sui dona.

Quanto igitur excellentiora sunt illa spiritualia externis bonis, et quanto grauius peccant homines, Deumque offendunt, illorum, quam horum contemptu et abusu, tanto seuerius ulciscitur hæc peccata. Adfligit post adfluentem copiam extrema penuria, aufert uerbum & regnum suum, et simul æternæ hæreditatis possessione priuat contemptores.

Postea destituti uera religione et doctrina homines famelici non aliter quam canes circumcursant, sicut habet Psalm. 49. Quærunter uerbum Dei, nec tamen inueniunt, cupiunt tum saturari etiam siliquis, quemadmodum filius ille prodigus, cum sui patris bona dilapidasset, quod in ludæis ob oculos est, Et experientia satis docuit in papatu, et multi hoc tempore experiundo incipiunt discere, qui bonis pastoribus, rectæ religionis & sacrorum legitima administratione spoliati, in Ecclesijs suis uident tritissimam uel solitudinem, uel abominationem desolatricem stantem in loco sancto.

Hanc ultionem Deus comminatur per



prophetā Amos cap. 8. dicēs, Ecce dies ueni-  
unt & mittam famem in terram, non famem  
panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi uerbum  
Domini, et commouebuntur a mari usq; ad  
mare, et ab aquilone usq; ad orientem cir-  
cumibunt, quærentes uerbum Domini &  
non inuenient. Et Christus in parabola cœ-  
næ magnæ. Dico uobis, nemo uirorum, qui  
inuitati erant, gustabit cœnam meam.

Cum igitur morbus fastidij et contemp-  
tus præsentis copiæ uerbi aliorumq; spiritu-  
alium donorum Dei late occupet animos ho-  
minum, et grauissima omnium plaga sit uin-  
dictæ diuinæ, auferri ueram doctrinam et re-  
ligionem, sitq; omnium maximum damnum,  
amittere uerbum & regnū Dei, & contemp-  
tus ille non tantum bella aliasq; calamitates  
temporarias attrahat, sed etiam in æternum  
exitium præcipitet, ac nulli malo perinde  
opus sit mederi efficacibus remedijs, et cura  
medendi ac sanandi spirituales morbos com-  
missa sit Ecclesiæ ministris Luc. 10. Ne de-  
essem meo officio, uolui mea quoq; opera  
morbo nostro tempore uulgarissimo et no-  
centissimo occurrere, et ædere in publicum  
aliquot concunculas breuiter comprehen-  
sas, ut soleo ordine complecti partes et sen-  
tentias præcipuas popularium concionum,  
non ideo tantum, ut memoria habeat subsi-  
dium, sed etiam, ut auditoribus omnia sint  
magis exposita, perspicua et facilia.

Non sunt hæc splendido instructa appa-  
ratu, deprompta tamen sunt ex recondito pe-  
nu scripturæ sacræ, quibus discipuli Christi  
ita fruuntur, ut illud Christi semper in me-  
moria habeant. Non ex solo pane uiuit ho-  
mo, sed



mo, sed ex omni uerbo, quod egreditur per  
os Dei, et illud ex cantico Mariæ. Esurientes  
impleuit bonis, et diuites dimisit inanes, ac  
sibi persuadeant, ad ueram beatitudinem  
unum esse necessarium, ut Euangelium Chri-  
sti firma fide amplectamur et retineamus,  
idq; anteferamus opibus et rebus mundi uni-  
uersis, et omnia citius relinquamus, quã de-  
seramus salutarem doctrinam et societatem  
ueræ Ecclesiæ, in qua permanentes, soli  
consequuntur bona illa, quæ Deus  
diligentibus ipsum præpa-

rauit. Gratia Dei

sit cum nobis

omnibus

Amen.

A 4

Prima



# PRIMA CONCIO EX

Psalmo 27. De uerbis Prophetæ,

Vnum petij a Domino &c.



**CARISSIMI**

in Domino, institue-  
ram enarrare Episto-  
lam aliquã Diui Pau-  
li, si in religionis ne-  
gocio tempora nobis  
meliora ostenderent,  
quam præ se ferunt, &  
multis nõ obscuris in-

dicij colligitur. Incertum est, quã diu apud  
commissum sibi a Domino gregem perdura-  
re, suoq; ministerio fungi possint boni Pa-  
stores, qui recusant subdere se Antichristi  
iugo. Multos passim ab Ecclesijs expellit Pa-  
pismus per uim & insidias introductus: Alij  
pelluntur in exilium, alij conijciuntur in uin-  
cula, alij trucidantur, alijs, cum quibus be-  
nignissime agitur, ministerij sui functione  
interdicitur, nec leuiora alijs fidelibus mini-  
stris impendent ubiq;.

Cum igitur tempora periculosa, uaria  
& incerta non sinant me in manus sumere  
longius aliquod scriptum, quod ordine to-  
tum explicetur, deligam e literis sacris locos  
aliquot insigniores, qui & doctrinã, & con-  
siliũ, & consolationem suppeditant, quæ  
poscunt præsentia pericula, insidiæ, fraudes,  
imminentia mala, quæq; maxime nobis sunt  
necessaria ad id, ut habeamus omnia medi-  
tata ac parata in omnem euentum, & in om-  
nibus



**X** nibus aduersis intrepidi fortesq; consistamus in agnitæ ueritatis & receptæ doctrinæ confessione.

**I** In primis autem postulat nostri temporis ratio hoc consilium & hanc exhortationem, ut gratis animis agnoscamus præclara Dei beneficia instauratæ puræ religionis, quibus in Ecclesijs nostris fruimur, eoq; impendamus omnia nostra, ut conseruemus doctrinam cœlestem, ac cultum Dei syncerum & incontaminatum, & connitamur utrunq; retinere perpetuo. Hoc nobis dat consilij, hucq; nos uocat spiritus sanctus Psalm. 27. his uerbis.

**V**num petij a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ, ut uideam uoluptatem Domini & uisitem Templum eius.

Hæc nostra nunc sint uota, hoc unum petamus, coniunctis precibus, ut habitemus in domo Domini toto tempore uitæ nostræ, ut uideamus uoluptatem Domini & frequente-  
mus Templum eius. Eiusmodi desiderium & oratio excitatur & prouenit ex uera religionis & cultus Dei notitia. Illi demum arden-  
ter cupiunt & petunt habitare in domo Dei, uisitare eius templum, frui amœno cultu Domini, qui intelligunt, quanta sit foelicitas, membrum esse ueræ Ecclesiæ Dei, ubi illius uerbum, & cultus sincere tractantur. Absq; ea cognitione tale desiderium, uota & preces

A s esse



esse nusquam possunt. Homines ignari, quā-  
tus sit thesaurus, purum habere uerbum, do-  
ctrinam, & cultum, qui in eius uerbo & fide  
consistit, quamq; sint beati tanti thesauri cō-  
sortes in Ecclesia, ex animo nec desiderant,  
nec petunt illa tanta bona.

Si professores nominis Christi hodie in-  
telligerent dignitatem & precium immensū  
illius thesauri, longe alia, quam nunc fit, con-  
silia et studia sectarentur, gererent se sancti-  
ssime, magno zelo contenderent pro tuenda  
integritate religionis, prouoluti genibus, ad-  
siduis gemitibus & lachrymis hoc unū sup-  
plices peterent a Domino, ut detur facultas  
eis conuersandi perpetuo in illo cœtu, in quo  
rite administrantur sacra. Nunc quia huius  
cognitionis expertes sunt, & Dei beneficia  
obliuiscuntur, facile sibi sinunt eripi, nonnul-  
li etiam ultro abijciunt preciosum illum the-  
saurum, eoq; contempto admirantur caduca  
bona. Quas alias putamus nostro tempore  
esse causas inauditæ defectiōnis a Christo,  
præter uoluntariam & accersitam ignoran-  
tiam, & obliuionē beneficiorum Dei & Apo-  
statae nolunt scire, meminisse nolunt, quantis  
donis Deus per Euangelium suum nos cumu-  
larit, religione uera nobis restituta. Compu-  
tant quidem sollicitis articulis alia damna,  
in rebus etiam minimis: at non subducitur  
ratio, quantum accipiant damnū, cum amit-  
tunt cœlestem doctrinam & incorruptæ re-  
ligionis administrationem, qua amissa, simul  
regnum Dei & hæreditas cœlestis uitæ amit-  
titur. Ideo ad abominaciones Antichristi  
proruunt agminatim.

Contra tam nefariam defectiōnē, eiusq;  
causas,



causas, ignorantiam puta & obliuionem amplissimorum donorum Dei, opponitur hæc oratio Dauidis.

**Vnum peto a Domino, hoc requiram, &c.**

Edoctus spiritu Dei, sanctus Propheta norat, quanti referret habitare in domo Dei, quæ est Ecclesia sancta, unde credentes migrant in cœlestis patriæ domū. Proinde præ rebus omnibus petebat habitare domesticis Dei, unaq; cū illis oblectare sese eius cultu, per omnes suæ uitæ dies. Qua petitione nos docemur, quanti referat, nos habere locum & manere in societate Ecclesiæ, ubi uerbum sincere docetur, & Deus recte colitur. Hæc tanti fecit Dauid, ut optaret hoc unum, ut habitaret in domo Domini, & uisitaret templum eius. Non minoris ista æstimanda sunt nobis, nec minus requirendum, optandū, & obtinendum est precibus nostris hoc præcipue unum, ut manentes in societate Ecclesiæ Deo gratos cultus præstemus, doctrinæ confessione, celebratione & inuocatione nominis diuini. Quum hoc unum sit perendū ante omnia, oportet certe id unum esse præstantissimum, & illo uno summam nostram felicitatem & beatitudinem contineri.

Alij homines ducti uarijs cupiditatibus multa petunt, nec satiantur, etiam si potiantur rebus optatis. Pñ uero unum petunt, ut habitent in domo, in qua Dominus habitat, docet, sanctificat, regit, consolatur, & inuocantes nomen eius exaudit: Nam ea domus Domini dicitur.

**Exercens**



Exercēt sancti fidem suam petēdis etiā  
am externis bonis, in primis tamen petunt  
spiritualia bona, uerbum Dei, fidei & chari-  
tatis incrementum, constantiam & perseue-  
rantiam in confessione ueritatis, & in cultu  
Dei, quærunt primum regnum Dei, & iusti-  
tiam eius, quia sciunt se his bonis indigere  
ad æternam uitā: Alia bona temporaria ex  
usu sunt huius uitæ & tandem pereunt. Hoc  
autem unum, uidelicet uerbū Dei, unde exi-  
stit cognitio mediatoris nostri, uera fides, &  
iustitia confert ad æternam uitam, hæc bona  
non intercidunt, nec sinunt perire manentes  
in domo Domini.

Homines huius sæculi studio sibi habent  
parare fluxa bona, & parta ita cōseruant, ut  
citius coelestia amittant, quam faciant ia-  
cturam terrenarum opum. Pij uero opes in  
Christo repositas quærunt & cōseruare stu-  
dent, citius de terrenis bonis periclitantur,  
quam de illis in periculum ueniant, amissis  
uerbo & cultu Dei. Alia damna leuia & pro  
nihilō ducunt, dummodo mancant eis coele-  
stia in tuto. Hæc solícite custodiunt, ne præ-  
dator Diabolus eripiat, qui co omnes suas  
conuertit artes, ut unum illud necessariū bo-  
num auferat, quo ablato, amissa sunt omnia.  
In parabola de semine Christus accusat Dia-  
bolum esse raptorem, qui uerbum auditum  
e cordibus rapit, ne homines salutem conse-  
quantur. Salus enim tantum contingit fide  
amplectentibus & custodientibus uerbum,  
ac manentibus in societate Ecclesiæ, in qua  
tantum est salus. Habet domus illa Euange-  
lium, quod est uirtus Dei ad salutem omni  
credenti, habet sacrum Baptismū, lauacrum  
regenera-



regenerationis & renouationis spiritus sancti, habet communionem corporis & sanguinis Christi, habet absconditos thesauros sapientiae Dei, habet in summa regnum Dei & ipsum Deum praesentem. In ea domo conuersantes habitant apud Dominum, aeternam in caelo habitationem habituri. Ob haec tanta bona optatur & petitur a pijs mansio in domo Domini, & participatio amoeni cultus, idque non ad dies aliquot, sed omnibus diebus uitae.

Aliqui ad tempus habitant in domo Domini, sed in ea non permanent, aliquandiu coniunguntur Ecclesiae, post aliquantulum temporis separant se, saturi incipiunt fastidire uerbum Dei, sequuntur seductores, uel deficiunt propter pericula, adhærescunt mundi gloriae, diuitijs & uoluptatibus, praeharum rerum studio deserunt Ecclesiam, deficientes a uerbo & cultu Dei, aggregant se ad domesticos Satanæ. Inde nos auocat Spiritus sanctus, inuitat ad perseuerantiam mansionis in domo Domini.

Magnifice commendat uerum Dei cultum, quem uocat uoluptatem Domini, hoc est, amœnum, incundum, & gratum cultum, quo delectatur dominus, quem gratum habet: unde & pii percipiunt misericordiam delectationem & gaudium in hac uita, unde etiam habebunt in aeterna uita lætitiā & iucunditatem inenarrabilem.

Cultus autem Dei elegans, festiuus & iucundus est, non quidem ab auro & argento, non sumptuosis aedificijs, preciosis uestibus, simulachris, aut alijs externis splendidis rebus, quas prophani homines admirantur ad  
dicti



dicti elementis mundi, ac in primis hypocri-  
tae praedicant nomine elegantiae & festiuita-  
tis, utpote quibus ipsi mirifice delectantur,  
& Deum delectari falso sibi persuadent. In  
externis illis Deus nullam habet uolupta-  
tem, imo abominatur ea, quando in illis co-  
stituitur magnificentia cultus diuini, fide &  
charitate neglectis. Cultus expers obedi-  
entiae in Deum & fidei in Christum non uolup-  
tas est domino, sed molestia & abominatio,  
quantumcumque coram hominum oculis splen-  
dore externo fulgeat.

Cultus Dei uere preciosus & delectabi-  
lis est propter eius uerbum & obedientiam,  
quae uerbo praestatur, & propter fidem in  
Christum mediatorem. Verbum obedientia  
& fides condecorant & magnificant cultum  
Dei, Deoque & Ecclesiae iucundum ac gratum  
faciunt, quamlibet ob res externas uilem &  
contemptibilem mundo. Satis habet digni-  
tatis, elegantiae, ornatus & iucunditatis cul-  
tus diuinus, si commendatur obedientia &  
fide. Hunc iucundum cultum opponit pro-  
pheta cultibus electitij, qui etsi uehementer  
delectant hypocritas, cultores Satanae & no-  
stros caeremoniarum Magistros, tamen Deus  
fastidit & abominatur eos, nec gratificantur  
isti cultores Deo & pijs, sed eos molestant su-  
is cultibus. Deus non alio delectatur cultu,  
quam qui instituitur & peragitur secundum  
eius uoluntatem, nec alio delectantur domesti-  
ci Dei, nec alibi, quam in domo Domini, praes-  
tatur ille cultus Deo gratissimus. Pijs ita iucun-  
dus et desideratus est ille cultus, ut ideo petant  
& requirant hoc unum, ut habitent in domo  
Domini, uisitent eius templum, & fruantur  
delectabi-

dele  
rint  
mus  
ta,  
adf  
mus  
Chr  
nost  
Sicu  
ritu  
Pap  
num  
Dei  
ctar  
rem  
con

S E  
ex P  
dies

I  
f  
E  
bum  
cio  
tam  
tem  
cult

am  
affi  
cult  
exer



delectabili, sacroq; illius cultu, quoad uixerint. Idem nos petamus a Domino, ut uideamus & audiamus in Ecclesia, quæ Deo grata, nobis delectationem & gaudia cœlestia adferant, sicut per aliquot annos iam uidimus. Et rogemus Deum patrem nostrum per Christum suum filium, ne sinat nos uidere in nostris Ecclesijs molestos cultus impiorum, Sicut in multis locis nunc p̄ cū magna Spiritus sancti contristatione in suis templis Papisticarum cæremoniârū & abominatiōnum instaurationem & Antichristum digito Dei electum in templum Christi reduci spectare coguntur, Sed his extirpatis & procul remotis suum uerbum & spirituales cultus conseruet, Amen.

## SECUNDA CONCIO

ex Psalm: 84. de uerbis Prophetæ. Una dies melior est in atrijs Domini &c.

**I**N HOC PSALMO SPIRITVS sanctus magnifice prædicat communionē Ecclesiæ sanctæ, & docet purum Dei uerbum & cultum tantū facere, tantoq; in precio habere, ut libenter relinquamus & amittamus honores, opes, potentiam, & uoluptatem huius mundi, & retentis Dei uerbo & cultu in beatorum cœtu permaneamus.

Primum describitur hoc Psalmo ingens amor, studium, & desiderium piorum, quo afficiuntur erga Ecclesiam, Euangelium & cultū Dei. Ecclesiā uocat habitacula Domini exercitū, atria & domū Dñi, quam, inquit, Dilecta



Dilecta tabernacula Domini  
Zebaoth. Anima mea anhelat, &  
ardenti amore aspirat ad atria  
Domini, corpus & anima mea  
exultant in Deo uiuo.

Deinde prædicat hic Psalmus opes Ec-  
clesiæ sanctæ, indicat quæ bona habeant san-  
cti in tabernaculis Domini, quæ tantopere  
expetant, & propter quæ tam amabilia sint  
habituacula Ecclesiæ. Opes & thesauri Eccle-  
siæ sunt Spiritus sanctus una cum donis suis,  
spiritualis generatio & propagatio filiorum  
Dei, benedictio Dei, consolatio, uictoria alia  
post aliam, honor, gloria, & æterna salus.

Comparat Ecclesiam nido, in quo aues  
excubantes pullos suos excludunt: nam in  
Ecclesia Spiritus sanctus generat & educat  
Dei filios. In Ecclesia sunt iucundi cultus  
Dei, laus, celebratio, glorificatio Dei; docto-  
res ibi transeunt per uallem lachrymarum, &  
faciunt fontes: Habet Ecclesia Euangelium  
Christi, & Spiritum sanctum, unde fluunt  
aquæ salientes in uitam æternam, habet for-  
titudinem, & obtinet uictoriam aliam post  
aliam, Deus ipse est scutum, robur, & prote-  
ctio Ecclesiæ suæ. Dat gratiam & gloriam  
& replet bonis rectos.

Ex his in cordibus piorum cõcludit Spi-  
ritus sanctus, hocq; facit certissimum & per-  
suasissimum, summam esse foelicitate & bea-  
titudinem, in domo Domini uersari, & in eo  
manere cœtu, in quo pure uerbum Dei tradi-  
tur, &



ni  
&  
ia  
ea  
Ec  
an  
ere  
int  
le  
is,  
um  
lia  
ies  
in  
cat  
tus  
to/  
&  
um  
int  
or/  
oft  
te/  
am  
pi/  
er/  
ea/  
co  
di/  
&

tur, & cultus diuinus rite obseruatur sine ullo Antichristi fermento, & præstet carere opibus & gloria mundi, quam separari a communione uerbi, Sacramentorum, & reliqui cultus sacri, sitq; tolerabilius, contemptissimum esse in mundo, & habere habitaculum & societatem suam in congregatione sanctorum, quam alienum ab Ecclesia inter impios abundare opibus & gloria.

Commendo igitur uobis huius Psalmi meditationem assiduam in periculis, miseris, & calamitatibus huius nostri sæculi, in quo tanta turba deficiens tam leuiter deserit Christi Ecclesiam, eo quod nolunt scire & credere, quod ea demum stabilis & æterna sit foelicitas & salus, agere in consortio habentium purum Dei uerbum, cultum, & ea dona, quæ hic Psalmus commendat.

Præcipue uero cupio uobis quam commendatissima esse in hoc Psalmo hæc uerba spiritus sancti. **V**na dies melior est in atrijs Domini, quam mille alibi. Malo esse ostiarius in domo Dei mei, quam diu habitare in tentorijs impiorum.

Auditis charissimi, quam magnipendere, quamq; charum & preciosum habere debemus uerbum, cultum & Ecclesiam DEI. Spiritus Sanctus docet hæc anteferre omnibus rebus, quanticumq; in mundo æstimentur, non uitam hanc, non domum, non rem familiarem, non pacem, non honores & opes

B tam



tam chara habere docet, quam Ecclesiam Christi, synceram doctrinam, & religionis integritatem. Breuissimum uitæ spatium, quod uiuitur in societate Ecclesiæ, confert cum spatioso tempore impiorum, qui a con- tubernio Ecclesiæ remoti longam agunt ui- tam, diem unum ponit contra mille dies, an- num unum contra mille annos, pronunciat, meliorem esse unum diem in atrijs Domini, quam alibi sint mille.

Hac collatione consolatur Spiritus San- ctus fideles aduersus persecutionem impio- rum, contra uarias ærumnas, pericula, & ui- tæ breuitatem, munit item aduersus scanda- lū fœlicitatis, & longæ uitæ impiorū. Sancti trucidantur, aliqui degunt ærumnosam ui- tam, impijs uita contingit fœlicior & longi- or. Verum non refert, quam diu uiuamus, sed ut agamus uitam nostram in atrijs Do- mini, ubi habemus, audimus, discimus, doce- mus & confitemur uerbum Dei, & Patrem in spiritu & ueritate adoramus, ubi recrea- mur aquis fontis uiui, & participes benedi- ctionis Dei obtinemus uictoriam aduersus omnia mala.

Non oportet longitudinem uel breuita- tem uitæ metiri numero mensium & anno- rum, sed conuersatione & conuictu ueræ Ec- clesiæ, & participatione cœlestium bono- rum, quibus diues est Ecclesia. Satis uiui- mus diu, dummodo habitamus in piorum cœtu, ubi breuissima uita, est longissima, & breuem uitam æterna consequitur.

Quid prodest homini uitam extendere in multos annos, & ad seram peruenire sene- ctutem, cum iacturam facit æternæ uitæ?

Vt cumq;



Vt cumq; impijs uita in longum proſogetur,  
quid tandem aliud uita eorum est extra Ec-  
clesiam, quam mors æterna, & cumulus pœ-  
narum inferni?

Ideo pñ non desiderant longam & fœli-  
cem uitam impiorum, non seruant, non exi-  
munt periculis, non prolongant uitam suam  
per impietatem defectione a uera puraq;  
Christi religione & Ecclesia & dispendio  
æternæ uitæ, sed contenti sunt suo curriculo  
a Deo constituto, eamq; ducunt uitam lon-  
gam, uiuere in fide Christi, in consortio ele-  
ctorum, ac læti dicunt cum Dauide.

**Melior est dies una in atrijs tuis  
quam alibi mille.**

Qui ita rationem subducunt, ijdem faci-  
le renunciant opibus & gloriæ mundi, eoq;  
impendunt, quicquid habent in hoc sæculo,  
ut Dei uerbum & religionem incorruptam  
retineant, habentes eundem Spiritum, in-  
telligentiam & sensum, quem habuit Dauid,  
præditi eodem studio erga Ecclesiam, uer-  
bum & cultum diuinum, quo ipse omnesq;  
sancti flagrarunt, id habent animi & studiij,  
quod exprimunt sequentia uerba Psalmi.

**Malo esse ostiarius in domo  
Dei, quam diu habitare in tentorijis  
impiorum.**

Propheta mentionem facit humilis mi-  
nisterij, quale est custodire ostium, & deno-  
tat quælibet infima & uilia ministeria, ac  
piorum in hoc mundo fortem indicat. Ha-



bentur enim abiecti & contempti, ab honestioribus functionibus repulsi relegantur ad contempta ministeria, si perueniunt ad honores, si magistratus gerunt, aut alia splendidiora munera obeunt, tamen rediguntur in ordinem, priuantur suis functionibus, cum colunt pietatem, doctrinam & cultum Dei promouent sedulo. Nec quidem parcitur regibus & principibus, ut nunc experientia docet, cum Christo præbent hospitium, ex utriusque honoribus, loco et ditionibus suis ab apostatis & alijs impijs exturbantur.

Nostra memoria multi pij bonis suis spoliati, & a functionibus suis amoti sunt in multis locis. Viri genere & potentia clari, ac præ eminentes dignitatibus a gubernaculis sunt deiecti, quibusdam etiam ditiones ademptæ, propter ueritatis confessionem & patrocinium, & impijs Christum prodentibus donatæ. Ita uerum est de omnibus membris Ecclesiæ, quod Apostolus scribit. Omnes, qui uolunt pie uiuere persecutionem patientur, & contra, qui, persecutionem pati non uolent, fient impij.

Quare nec Dauid regio diademate & potentia insignis dedignatur, deposita regis dignitate, potius obire infima & uilissima quæque ministeria, quam celso loco multis titulis ornatus sedere & sublimis conspici cum impijs. Idem animi habent omnes pietatis & Ecclesiæ Christi studio dediti. Malunt carere dignitatibus, potentia et gloria, quam carere uerbo & cultu DEI, & ab Ecclesia Christi ad Satanæ sectas deficere. Non tantum tenuioris fortis homines in periculum adducunt, propter confessionem cœlestis doctrinæ,



etrinæ bona sua, casas, agellos, & alias exiguas possessiones, Quemadmodum nonnulli declamitant in humilioris fortunæ & conditionis homines, Christum constanter cum periculo confitentes, quod non ita habeant multum, quod in periculum adducant, ideo eos plus audere alijs, & locupletioribus pericula accersere, Sed ita comparatum est ingenium omnium piorum, quacumq; fortuna utatur, quod malint propter Christum abiecti, & qualicumq; humili conditione contenti esse, quam exaltari & regnare cum impijs.

Id animi eamq; uoluntatem declarant hoc tempore, qui nolunt communicare operibus tenebrarum, & recusant reuerti ad damnatas superstitiones & ritus Antichristi, & citius quam id faciant, cedunt patria, domo, possessionibus, & functionibus suis. In hos uere competit hæc oratio, quam & factis comprobant. Malumus istis relictis, ablatiis & amissis, esse alicubi uel æditui templorum, uel uilia ministeria seruorum facere, domum uerrere, uel ruri oues pascere, uel quamlibet aliam humilem sustinere functionem, quam cum Antichristi grege nos coniungere, & a ueritatis confessione, periculorum & afflictionum Ecclesiæ societate nos subducere, aut etiam insuper pios persequi, ut primas teneamus cum hostibus Christi. Malumus tenuiter ac duriter uictitare, dummodo habitemus in domo DEI, quam splendide saginari cum impijs. Malumus habitare in tugurio aliquo, quam incolere celsas arces & splendidas ædes iniustorum.

Sciunt enim pijs melius esse modicum iusti,



quam ingentes diuitias imploꝝum, & sancti-  
us esse in humili loco & uili ministerio uer-  
sari, quam tenere supremum locum apud  
contemptores Dei. In ista humilitate &  
abiectione, pacata conscientia, fruuntur re-  
bus suis quatumcunq; exiguis, habent pacem  
& gaudium Spiritus. Habent satis honorifi-  
cum & amplum locum, dignitatem & ho-  
norem, quando sunt in domo Dei. Cohone-  
stat & amplificat eorum humilem conditio-  
nem, quod seruiunt Domino, qui grata habet  
fidelium quaelibet ministeria, obedienter in  
fide exhibita. Habent benedictionem & glo-  
riam a Domino.

Impiorum ergo hæc est oratio. Malu-  
mus habitare in splendidissimis ædificijs,  
opibus & potentia præcellere, uoluptatibus  
abundare, quam de his periclitari, ad pau-  
pertatem redigi & dignitatibus spoliari,  
propter Euangelium illud miserum & odio-  
sum, Malumus Christum cum impijs perse-  
qui, quacunq; id demum ratione possumus,  
quam cum istis miseris ob nescio quod Euan-  
gelium ab impijs pati.

Pij soli respicientes ad cœlestia, & ad-  
spirantes ad regnum Dei, & æternam glori-  
am, dicunt, Malumus esse ostiarij, &c. Hæc  
ut nostra sit oratio factisq; comprobe-  
tur in periculis & afflictionibus,  
Id Christus efficiat in nobis  
per spiritum suum  
Sanctum.

Tertia



# TERTIA CONCIO EX

Cap. XI. ad Hebræos. De uerbis Apo-  
stoli, Per fidem Moses iam grandis  
factus reuinit uocari filius fi-  
liæ Pharaonis,  
&c.

**A**dmirandis operibus Sanctorum, &  
rebus per fidem gestis annumerat  
Apostolus Paulus historiam Mosi,  
quod, relicta aula regia, adiunxit se oppres-  
so populo Israel. In hac historia tribuit Pau-  
lus fidei quatuor hæc opera.

1. Per fidem Moses iam grandis reuinit uo-  
cari filius filia Pharaonis;
2. Elegit potius simul malis adfici cum po-  
pulo Dei, quam temporarijs peccati commo-  
dis frui.
3. Maiores diuitias arbitratus est pro-  
brum Christi, quam Aegyptiorum thesau-  
ros.

4. Respiciebat ad remunerationem.  
Hæc omnia eximia sunt opera magnæ  
& excellentis fidei, præsentem fortunam re-  
linquere, cum populo Dei affici malle pro-  
bris, quam temporarijs commodis frui. Ma-  
iores diuitias reputare probrum Christi,  
quam thesauros præpotentis regni, & respe-  
ctum habere ad remunerationem. Huius-  
modi operibus uera fides probanda & de-  
claranda est, non fucati Christiani ex his  
sunt cognoscendi. Homines sinceri in fide  
faciunt secundum uocationem suam, quod



Moses fecit per fidem, propter nomen Christi, & populum eius afflictum, relinquunt patriam suam, ciuitatem, domum principatum, titulos, &c. & potius afflictiones & ærumnas sustinent cum populo Dei, quam percipiunt mundi commoda & uoluptates, probra Christi maiores arbitrantur diuitias, quam potentissimorum regum opes, fauorem honoresq;, & in remunerationem Dei intuentur. Infideles & Hypocritæ nihil propter Christum relinquunt, nolunt pati persecutionem cum Ecclesia Dei, quærunt mirarte effugia Adiaphororum aliarumq; multiplicium fraudum, sectantur potius temporarias & carnales uoluptates, & uanam mundi gloriam, quam probris adficiuntur ob nomen Christi, non respiciunt Dei remunerationem, sed hærent in ijs, quæ ob oculos sunt, & quæ in mundo habere possunt.

Principio Apostolus commendat fidem Mosi in hoc, quod relinquens aulam regis contulit se ad fratres suos, Moses renuit uocari filius filia Pharaonis, cum grandis factus est. Filia regis Pharaonis Mosem adoptauerat in filium. Mater eius non parebat mandato regis, qui iusserat submergere filios Hebræorum, occultabat puerum tribus mensibus, & cum diutius occultare non posset, infantem repositum in fiscella scirpea exponerat in littore fluminis, eo cum se conferret lauatum filia Pharaonis conspectam fiscellam iussit ancillam ad se adferre, cum aliatam aperuisset inuenit infantulum, quem Hebrææ mulieri (quæ erat Mater Mosi) educandum tradidit.

Cum



Cum igitur Moses ad uirilem ætatem peruenisset, noluit amplius dici filius filia Pharaonis. Hac de re legitur Exodi 2. Moses iam grandis factus egressus est ad fratres suos, & uidit afflictionem eorum. Hoc Moysi factum Apostolus tribuit fidei. Credebat Moses promissioni Dei factæ populo Israel. Credebat afflictum & oppressum hunc populum, qui nec ditionem nec regnum ullum habebat, sed misera premebatur seruitute, hunc, inquam, populum credebat esse dilectum populum Dei, quem ex Aegypto educitur liberaturus esset ex seruitute Pharaonis. Credebat Deum affuturum sibi in difficultatibus & periculis, quæ in educendo illo populo obijcerentur. Hæc erat fides Moysi, quæ id efficiebat, ut recusaret nominari filius filia tantæ regis.

Hominum existimatione erat honorificum Moysi, perhiberi filium filia regis Aegypti, non tantum habebat nomen, sed etiam locum & dignitatem regiam, nec tamen tam splendidum nomen affectabat, nec mouebatur regia illa gloria, ultro se abdicans ab omnibus, quæ obtinere posset apud potentissimum regem, nimirum filius adoptiuus filia regis, relinquebat regis aulam, gratiam, reginam, quæ mater erat adoptione, aliæque amplissima commoda, & accedebat ad populum suum, nam in populi istius ducem & liberatorem erat electus.

Deus ideo ereptum e mortis periculo seruauerat, ideo a filia Pharaonis inuentus in flumine mulieri Hebrææ, quæ erat mater Moysi, traditus est educandus, ut populum oppressum educeret ex Aegypto, propterea



Dei consilio & uocationi Moses parebat, Ita spiritus Sanctus nos docet propter ueritatis confessionem & afflictam Ecclesiam relinquere patriam, domum, cognatos, aulas regum & principum, diuitias aliaq; commoda æquo animo amittere, & afflictis adferre auxilium.

Etiamsi tantis commodis potiri nobis liceat, ob hæc tamen non est deserenda, nec nostro consilio & patrocinio destituenda misera Ecclesia, sed relictis omnibus subueniendum est iniuste oppressis, sic enim præcipit Spiritus Sanctus Psalmo. 45.

Audi filia & inclina aurem tuam, & obliuiscere domum Patris tui. Et Christus inquit, Qui non odit patrem & matrem suam, non est me dignus. Item, Qui reliquerit domum, agros, propter nomen meum, recipit centuplum in hac uita, & hæreditabit uitam æternam.

Vt autem nostra libenter relinquamus propter Christum & fratres nostros, id fit per fidem. Ad renunciandum mundo, & ad abdicandum gloriam, opes & uoluptates mundi, fides nos reddit faciles & promptos. Non respiciunt fideles quid & quantum relinquunt, & quid reperiant apud contemptum



ptum & adflictum Dei populum. Non con-  
siderabat Moses, nec computabat sollicite,  
quantum relinqueret aula regis discedens,  
& quid habiturus esset apud fratres suos. Si  
id uoluisset considerare, nunquam ex aula  
discessisset, nec tantas commoditates dimi-  
sisset e manibus, sed hæssisset in aula, ample-  
xus tam lautam & splendidam fortunam.

Commemorat Apostolus, quid Moses  
reliquerit, & quid repererit apud populum  
Israel. Eligebat potius malis adfici cum po-  
pulo Dei, quam frui temporarijs commodis  
peccati. Erat populus sub Pharaone oppres-  
sus dura seruitute, urgebatur seruili labore,  
dolis & Tyrannide graui opprimebatur:  
masculos Hebræos Rex iubebat necari in  
partu per obstetrices. Postea iubebat in flu-  
men proijci masculam Hebræorum sobo-  
lem.

Hæc erat adflictio populi, hæc mala qui-  
bus opprimebantur, Moses et Apostolus uo-  
cant mala illa, populi adflictionem. Ita enim  
habet historia. Moses uidit adflictionem fra-  
trum suorum. Erat Mosi copia iucunde suo  
modo uiuendi in aula regis, Poterat in regno  
Aegypti adipisci amplissimos honores & o-  
pes, sed his contemptis, adflictiones & mala  
populi sui in se transferebat.

Necq; leuia profecto subibat onera et pe-  
ricula, cum abdicatis dignitatibus, opibus,  
potentia & eximijs cōmodis, quæ consequēdi  
sūma ei dabatur potestas, aggregauit se po-  
pulo toti regno exoso. Amissa regis gratia, irā  
& odiū in se deriuauit, cū a Deo missus iussit  
eū populū dimittere, postea populo liberato,  
quā graua sustinuit onera, quot maledictis  
& in-



& iniurijs affectus est a peruerso & ingrato populo? Tantas difficultates etsi Moses præuideret, cum ex aula digrederetur ad populum Israel, maluit tamen illa subire & perpeti mala propter populum Dei, quam consequi amplissimas dignitates, & opibus & potentia potiri, deserto afflictio populo.

Scribit Apostolus, Mosē elegisse potius adfici malis, quam frui temporarijs commodis. Electione commendat eius consilium, quod nihil fecerit temere & inconsiderate, sed prudenter & maturo consilio discesserit ex regis aula ad oppressos Israelitas. Humanae rationis iudicio temeritatis & imprudentiæ speciem habet, & uidetur Moses fecisse stultissime, quod abiectis tantis commodis deteriora elegerit.

Ratio pro præclara sapientia ducit, eligere gloriam, honores, opes, uoluptates, & his contraria modis omnibus declinare & fugere. Illi demum merentur laudem prudentiæ, qui ita se comparant, ut sectentur & obtineant uitæ commoda, & utuntur oblatiis occasionibus, quibus datur accessus ad consequendam gloriam, diuitias, et tranquillam uitam, ab omnibus molestijs remotam. At Christiana fides docet & laudat longe aliam prudentiam in deligendis melioribus, & deterioribus repudiandis. Iudicat enim electionē & repulsam, ac reiectionem opum, gloriæ et uoluptatum terrenarū ac temporariæ tranquillitatis ex Dei uerbo, consilio & uoluntate. Metitur carnalia commoda ex incommodis peccati, quod coniunctum est cum ipsorum gloria, potentia & uoluptatibus.

Commen



Commendatur ab Apostolo prudentia  
Mosi in eligenda aduerſa fortuna adſicti  
populi & aſpernandis commodis, quæ ma-  
nenti apud regem in aula propoſita erant, eo  
quod iudicauerit temporaria eſſe commoda  
contaminata peccato, quod iram Dei &  
æternas pœnas ſecum trahit, ſi enim uolu-  
ſſet Moſes in aula frui opibus, gloria, uolup-  
tatibus alijsq; uitæ huius commodis & bo-  
nis, coactus fuiſſet perſequi pios cum impijs,  
Sed mauult ipſemet pati in corpore cum po-  
pulo Dei grauiffima quæq; quam manus ſu-  
as piorum ſanguine contaminare, Deum ab-  
negare, eius iram contra ſe prouocare, atq;  
ita in æternum exitium cum impijs abiici.

Suadet & nobis Apoſtolus uti potius  
prudentia fidei, quam carnis, & eligere non  
temporaria impiorum commoda cum ſum-  
ma impletate turpitudine & æternis malis  
coniuncta, ſed potius ſuſtinere afflictiones  
cum Eccleſia Chriſti, quas comitantur tan-  
dem commoda uitæ cœleſtis, & oppreſſos  
ſubleuare ſuſceptis ac translatis in nos malis,  
quibus præmuntur, quemadmodum alio lo-  
co idem Apoſtolus præcipit ex charitatis of-  
ficio aliorum onera portare, & propriam  
animam quoq; pro fratribus ponere.

Quod ſi ſyncera minimeq; fucata polle-  
mus fide, obtemperantes Deo præcipienti,  
diligere proximum perinde ut nos ipſos,  
imitabimur Moſi exemplum, & adficiemur  
miſericordia erga calamitoſos, fratrum op-  
preſſorum ærumnas reſpiciemus, & longe  
aliter, quam fidei Chriſti expertes, iudica-  
bimus de opibus & gloria mundi, & de pio-  
rum inopia, probris, et alijs calamitatibus.

Alieni



Alieni a uera fide, & fucata fide sese uen-  
ditantes magnificiunt mundanam gloriam,  
dignitates & opes, fauores & pacem impio-  
rum, abhorrent ab inopia, calamitatibus,  
probris, & tam multiplicibus periculis plo-  
rum, eaq; mala in nullam se non speciem uer-  
tendo, mirac; arte impijs sese coniungendo  
fugiunt. Recta uero fide præditi Christiani  
æstimant Ecclesiæ afflictiones esse summam  
fœlicitatem, impiorum uero Christum per-  
sequentium opes, pacem, potentiam, titulos  
& honores esse summam infœlicitatem.

Moses probrum Christi arbitrabatur  
maiores esse diuitias, quam thesauros Aegy-  
pti.

Erat regnum Aegypti præpotens & abun-  
dans opibus. Historiæ mira commemorant,  
quam fuerit Aegyptus ferax & abundans  
omnium rerum copia. Quantumcunq; au-  
tem Aegyptij haberent ingentes thesauros,  
& Moses adoptiuus filius filia regis, & per  
adoptionem hæres regni habere posset the-  
sauros tam opulenti regni, tamen maiores  
diuitias CHRISTI probrum arbitratus est,  
quam cuncta, quæ possidebat Aegyptus.

Æstimabat Moses pro gloria & diuiti-  
is, quæ ab Aegyptijs æstimabantur pro pau-  
pertate, ærumnis & ignominia. Nam uide-  
bat alias opes abditas & repositas esse sub  
paupertate et probro, quod Apostolus uocat  
Christi probrum. Siquidem Moses propter  
Christum & in fide Christi afflictiones &  
probra patiebatur, & Christo fiunt quæ-  
cunq; siue bona siue mala obueniunt creden-  
tibus in eum, sicut ipse dicit, mihi fecistis,  
quæ uni ex his minimis meis fecistis.

Proinde



Proinde afflictiones & probra fidelium  
ob constantiam in uera pietate tolerata a  
Christo habent suam remunerationem ad  
quam respiciens Moses, inopiam, afflictio-  
nes & probra sua & populi Dei aestimauit  
maiores diuitias, quam thesauros Aegypti.  
Non respiciebat Moses mala, non pericula,  
non gratiam, non odium regis, non thesauros  
& securitatem Aegyptiorum, ut iam multi  
habet magni uiri, sed bona diuina liberalitate  
prius promissa, fide certo ea expectans. Fides  
de remuneratione efficiebat, ut Moses elige-  
ret potius adfici malis cum populo DEI,  
quam frui temporarijs commodis.

His operibus probetur germana fides,  
tum apud paucissimos hoc tempore reperie-  
mus ueram fidem, & apud plurimos sum-  
mam incredulitatem. Pauci relinquunt pro-  
pter Christi miseram Ecclesiam aulas prin-  
cipum, patriam, domum, & alia uitae com-  
moda, Pauci eligunt cum Dei populo affici  
malis, Pauci communicant cruci & afflictio-  
nibus sanctorum, pauci ducunt probrum  
Christi pro maioribus diuitijs, quam opes  
imperatorum, Pauci respiciunt Dei remune-  
rationem spiritualium & caelestium bono-  
rum, omnes uolunt hominibus placere.

Multi eligunt temporaria commoda cu-  
mulata multis horribilibus peccatis, multi  
malunt habere thesauros Aegypti, quam  
Christi Euangelium, gratiam & regnum, &  
ferre crucem cum reliquis prius, multi respi-  
ciunt hominum fauorem remunerationem &  
mercedem, ideoque deserunt tam uerbum &  
confessionem quam populum Dei, imo per-  
sequuntur & persecutores adiuant, ut con-  
sequan-



sequantur & retineant diuitias Aegyptio-  
rum, pacem ac gratiam Pharaonum.

Christus efficax sit in nobis suo spiritu,  
per uerbum suum ut ueram fidem operibus  
charitatis erga oppressam Ecclesiam decla-  
remus, & testatam faciamus, ostendamusq;  
nos sentire, longe satius esse Christo confor-  
mem patiēdo cum reliquis pijs fieri, quam  
scelerato impioq; huic mundo, Anti-  
christo & eius Bestiæ pios per-  
sequendo conformari,  
Amen.

## QVARTA CONCIO

ex Cap. I. ad Galatas de uer-  
bis Apostoli: Etiam si nos  
uel Angelus de Cœ-  
lo, &c.

**E**X epistola Pauli ad Galatas saepe in  
concionibus & scriptis contra huma-  
nas doctrinas & traditiones adducun-  
tur hæc uerba, Etiam si nos, aut An-  
gelus e Cœlo prædicauerit uobis  
Euangeliū, præter id, quod præ-  
dicauimus uobis, anathema sit.  
Quemadmodum antediximus, & nunc ite-  
rum dico, Si quis uobis prædicauerit Euan-  
gelium



gellum præter id, quod accepistis anathema sit. Hæc sententia tanquam fulmen prostravit papatum, falsam doctrinam de iustitia operum, traditiones & superstitiones hominum infinitas euertit. Proinde & nobis hæc Apostoli uerba erunt fortia & inuicta arma, quibus demoliamur, quicquid se hoc quoque tempore extollit aduersus uerum Euangelium Christi, sub titulo summorum hominum: Etiam eorum, qui iam uidentur esse, & sane haberi uolunt columnæ Ecclesiæ Dei.

Complectitur enim sententia Apostoli tres partes. Prima est, In doctrina non est habenda ratio personarum, nec propter personas noua doctrina est recipienda. Secunda est, Euangelij Christi maiestas & auctoritas maior & superior est quibuscunque personis, & omnium hominum auctoritate, estimatione, dignitate & excellentia. Tertia pars hæc est, Quicunque fidem Christi profitemur, certi esse debemus, quod nostra doctrina uera ex Deo sit doctrina, ac in ea persistere tam firme, ne ullam aliam doctrinam audiamus, præter eam, quam ab Apostolis accepimus.

In doctrina plurimum nocet respectus personarum & fallit multos. Homines enim pendent a personis, respiciunt, quantum præcellant homines eruditione, sapientia, potentia, uirtute, quantum ualeant auctoritate, opibus, & in id genus alijs externis rebus hærent, atque his permouentur, ut doctrinam & fidem eorum amplectantur. Hac de causa Diabolus peruertit & seducit maxime, eruditos, sapientes, potentes, & iustos coram

C

mundo,



mundo, errores, falsa dogmata, & idolatriam precipue disseminat, promouet & defendit per homines magnæ existimationis & auctoritatis: Atq; ita promiscuum uulgus, quod totum a personis pendet, magnis agminibus abripit in errores.

Quandoquidem igitur respectus personarum tam fallax & perniciosus est, toties prohibet Deus respectum habere personarum, & uetat ex personis de doctrina iudicare, suiq; iudicij integritatem nobis proponit, sæpissime repetens in scriptura, quod non respiciat personas.

Ita hoc loco docet Apostolus, in doctrina non habendam esse personarum rationem. Nominat supremas secundum Deum personas, angelos, & Apostolos, & pronunciat eos anathemata esse, si aliud Euangelium annuncient, quam ipse & cæteri Apostoli prædicauerunt. Adimit etiam Angelis & Apostolis potestatem prædicandi nouam doctrinam. Proinde cunctis hominibus, quocunq; sint loco, conditione & auctoritate, adempta est potestas mutandi doctrinam Christi. Angeli certe & Apostoli præminent regibus, principibus, & omnibus excellentibus sapientia & quibuscunq; donis.

Quod si angelis & Apostolis non licet adferre nouam doctrinam præter eam, quæ Prophetis, Christi & Apostolorum testimonijs confirmata est, nec regibus & alijs summis hominibus licebit innouare doctrinam catholicam, nec quicquam uel præcipere uel prohibere contrarium Euangelio Christi, & ulli parti Christianæ fidei, nec habent ius cogendi, ut aliam doctrinam recipiamus.

Quod



Quod si id tentare ausi fuerint, non est nostrum illis obedire, imo tanquam anathemata auersari eos debemus. Apostolus in eos fulminat grauissimis uerbis, non dicit, non habeatis fidem, non obediatis Angelo aut Apostolo aliud Euangelium annuncianti, sed intonat hisce uerbis anathema sit, hoc est, execrabilis & maledictus, auersemini & fugiatis eum, perinde ut Diabolum & tartarum ipsum.

Hoc uero ualde graue & difficile nobis factu est, ita nos abstrahere & auellere a supremis personis, & neque monarchas neque reges summos, neque eruditos, neque sapientes, neque diuites, neque propinquos nostros, nequidem parentes, filios, fratres, sorores, & ipsos charissimos nobis Praeceptores & benemeritos respicere: Nimum enim inhærescimus personis, & respectu personarum uehementissime mouemur & impellimur ad fidem & imitationem.

Ac quidem habet ea res longe pessimam speciem superbiae, insolentiae & temeritatis, talibus & tantis non modo se praeferre, sed etiam opponere & aduersari, quin & tanquam anathemata eos detestari. Ea res reprehensionis & odiosissimis calumnijs obnoxia est: Ibi haec & similia obijciuntur. Tu ne talibus te praefers uiris? Tune plus sapis, quam tot homines praestantes ingenijs, doctrina, sapientia, uirtutibus? Tu scilicet uides, quae illi non uident? An non pudet te anteponere tuis maioribus & praceptoribus? Hanc ne tu tam benemeritis uiris gratiam refers o omnium mortalium ingratiissime &



Talia nobis occiunt papistæ. Vosne præfertis uos patribus, concilijs, &c.

Eadem cantilena nunc canitur improbantibus cōsilia de immutationibus faciēdis in ritibus, Vos melius sapitis, quam uestri præceptores, an ouum docebit matrem? Accusantur præterea qui se opponunt personis præcipuis, quod homines sint duri, peruicaces, stoici, præfracti, Trasydili, superbi, qui nemini cedere uelint, nec temporis, nec periculorum ullam rationem habeant.

Hæc & huiusmodi alia audire, ualde molestum est moderatis ingenijs, ac uehementer labefactat eos, qui apud homines cupiunt existimationem & famam suam integram & illæsam, & abhorrent uideri crudeliter negligere, imo proicere nomen bonum, utpote præcipuum bonum.

Contra ista igitur terriculamenta & offendicula munit nos Apostolus his uerbis. Etiam si nos Apostoli, aut Angelus de Cœlo, &c. Et nos uocat ad hanc sanctam & piam superbiam, pertinaciam, stoicismum, duriciē *φιλονεικίαν* & constantiam, ut ne Angelo quidem aut Apostolo cedamus docenti aliud Euangelium.

Angeli quidem boni & ueri Apostoli non prædicant aliud Euangelium, præterquam quod Christus, Paulus, & alij Apostoli docuerunt. Sed Angeli mali transfigurant se in Angelos lucis, et Pseudoapostoli transformant se in Apostolos Christi. Has insidias & dolos cauere monet Apostolus, ne pro Dei Angelis, & Christi Apostolis recipiamus nouum Euangelium Pseudoangelorum & Pseudoapostolorum, qui sub specie angelicæ  
sanctimor



sanctimoniam, & nomine Apostolorum insi-  
nuant falsam doctrinam Euangelio aduer-  
santem. Et est alioqui amplificatio ab im-  
possibili sumpta, q. d. etiamsi id accideret,  
ut summi Angeli sanctissimiq; Apostoli ali-  
ud Euangelium uobis afferrent, tamen de-  
testemini eos, tanquam Diabolos.

Non raro deficiunt ab Euangelij syncera  
doctrina ipsi eximij doctores, aut certe in-  
clinant ad noua dogmata, ex ipsis ueris Epis-  
copis Ecclesiae queritur Apostolus prodire  
lupos graues, qui non parcunt gregi. Iam si  
contingat, ut doctores discedant a recta do-  
ctrina, quam ipsimet antea sunt professi, aut  
incipiant eam labefactare, aut diluere hu-  
manis doctrinis, prohibet Apostolus eos au-  
dire, etiamsi adhuc uendicent sibi pristinum  
nomen & authoritatem, uelintq; uideri, non  
docere nouam aut priori contrariam doctri-  
nam. Hoc praecipuum primo loco continet

Apostolica sententia. **Etiamsi nos, aut  
Angelus de Caelo, &c.** In doctrina  
non esse habendam rationem ullius personae,  
nec propter personarum dignitatem & ex-  
cellentiam nouam doctrinam esse audien-  
dam.

Secundo loco docet, Euangelij dignitatem,  
& authoritatem esse superiorem omnibus  
hominibus, etiam Angelis. Apostolus Euan-  
gelium collocat supremo loco supra Angelos  
& Apostolos, Angelos & homines, quan-  
tumuis magnos, infra Euangelium constitu-  
it, & subiicit Euangelio: Atq; ita euertit &  
damnat axioma Romani pontificis, quod



ille non solū docet, sed etiā pro fidei articulo habere mādat, quod Ecclesia sit superior Euāgelio, habeat potestatem mutandi Euāgelium & Sacramenta & novos cultus instituendi. Hanc Diabolicam blasphemiam refutat Paulus, extollit Euāgelium supra Angelos & Apostolos, itaq; & supra Ecclesiam extollit, & multo magis id præfert falsæ hypocriticæ Ecclesiæ & eius membris. Euāgelium Dei uerbum est, & a Deo habet suam maiestatem: Quemadmodū Deus est superior Angelis, & omnibus rebus conditis, ita & uerbum Dei superat & excedit omnium Angelorum & hominum maiestatem, sapientiam, & auctoritatem. Debemus igitur Euāgelij doctrinam omnibus Angelis & hominibus anteferre. Hæc secunda est pars sententiæ Apostoli.

Sequitur postremo loco tertia. De doctrina certi esse debemus, & pro certo & indubitato scire, ac tenere, quod nostra doctrina uera Dei doctrina sit, et quælibet alia contraria huic, falsa sit & ex Sathana. Vna tantum doctrina uera, recta, certa, & firma est, neq; præter eam ulla alia.

Vera autem doctrina diuinitus patefacta & tradita nobis, approbata et confirmata diuinis testimonijs est doctrina Apostolorum & Prophetarum, prodita in scriptis eorum ad nos transmissis. Hanc unam doctrinam tantum nominat Paulus, eam nobis commendat unice. Definit eam doctrinam esse Euāgelium, quod ipse annunciauit, uidelicet, quod Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostri, quod in se est redemptio nostra  
itra &



culo  
Euā/  
geli/  
itu/  
efu/  
An/  
iam  
hy/  
an/  
fu/  
c fu/  
itfs,  
nni/  
fa/  
itur  
s &  
pars  
do/  
in/  
tri/  
con  
an/  
est,  
efa/  
ma/  
olo/  
eo/  
tri/  
obis  
nam  
ui/  
oter  
tifi/  
no/  
a &

stra et sustitia, quod credentes in nomen eius  
habeant remissionem peccatorum & uitam  
eternam, quod Euangelion nos ab ipso &  
alijs Apostolis accepimus.

Negat esse aliud Euangelium præter hoc  
unum, & si quis aliud doceat, id affirmat, nõ  
esse uerum Euangelium, sed falsam doctrinã,  
quæ cum uero Euangelio miscetur, qua ue-  
rum Euangelium corrumpitur & perueriti-  
tur, quæ nobis una cum Apostolis suis, &  
omnibus, qui eam prædicant (quantumuis  
magni, chari, docti, et benemeriti sint) proue-  
nunt, probant, & tuetur, debet esse anathema.

Quare cum illa doctrina sola sit ex Deo  
firmissima, eam solam amplectamur & am-  
plexi semel retineamus, conseruemus, et in ea  
permaneamus, quam ex prædicatione, &  
scripturis Prophetis & Apostolicis accepi-  
mus, omnesq; eius corruptelas, etiamsi cœli-  
tus ab Angelis, Apostolis, aut quibuscunq;  
summis uiris afferantur, caueamus, fugia-  
mus, detestemur & execremur, una cum eius  
doctoribus, ueluti si essent ipsimet infernales  
Diaboli.

Dominus Iesus impleat nos Sancto suo  
spiritu, ut auditum eius uerbum in pectore  
nostro etiam usq; in regnum cœlorum con-  
stantissime conseruemus, ut tandem læti au-  
dire possimus illam longe foelicissimã Chri-  
sti compellationem, uenite benedicti patris  
mei in regnum uobis ab æterno præpara-  
tum, quoniam uos non tantum audistis  
uerbum Dei, sed etiam constantis-  
sime custodistis illud,

Amen.

Impressum Magdeburgæ per Michae-  
lem Lottherum.



29. 1769 A.

(x 220 5413)













214  
2147

Vg  
1263

# HOMILIAE

## QUATVOR DE CV

odiendo precioso thesauro uerbi Dei  
& cultus sacri, contra multiplices fures,  
Papistas, Interimistas & Adiapho-  
ristas, deq; afflicta Ecclesia  
Christi non deserenda M.  
Ioachimi Vuestphali  
Past. Hamb:

Matth. 13.

Simile est regnum caelorum homini ne-  
gotiatori quarenti bonas margaritas, inuen-  
ta autem una preciosa margarita, abiit &  
vendidit omnia, quae habuit & emit eam.

Lucæ. II.

Beati qui audiunt uerbum Dei & custo-  
dunt illud.

Impressum Magdeburgi per Mi-  
chaelem Lottherum.

1550.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(GAALE)